

continuisse septem sextarios^e. tot enim sextarii aequant mensuram Hebraeorum, quam $\pi\omega\gamma$ appellant. Ergo per $\sigma\acute{\alpha}\mu\nu\omega\nu$ non tantum vas utrinque ansatum intellegendum esse liquet, sed est etiam certissimum, illud cepisse sextarios septem. Quod etsi vno vocabulo vix poterit exprimi Latine; e dictis tamen consequi puto, melius reddi per diotam, quam per urnam. nam si explices per diotam, etsi non magnitudo & amplitudo, tamen figura vasis, cuique se ostendet & occurret. Sed si per urnam interpretere; neque figuram eius neque amplitudinem & capacitatem cogitare lector in animo poterit. Verum satis & de altero genere notionum dictum videtur. Exponamus deinceps de tertio

Tribuitur enim in Lexicis N. T. vocabulis formulisque non paucis maior vis & potestas, quam usus loquendi iis assignasse reperiatur. Quo pertinent maxime verba e praepositionibus composita & formulae ad similitudinem Hebraicarum factae & a scriptoribus sacris usurpatae. Age, afferamus aliquot utriusque generis exempla, ne cui forte aliorum doctrinae

^e Ex. XVI. 33.